FRUCTUS VARII QUERCUUM.

A Mella fert quercus, teste *Q. Curtio*, qui in Hircania arbores reperiri dicit, quarum folia mellet tinguntur, & quercus faciem habere tradit, & nisi solis ortum incolæ prævertant, fucus extinguitur, & liquescit: unde *Virgilius*.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Etiam fungos producunt, Gallam, Agaricum, teste *Plinio*, refinam auctore, *Bellonio*. Et *Virgilius*:

Aurea duræ
Mala ferant quercus.

Horatius quoque;

Quod si rubicunda benignæ
Coma vepres, & pruna ferant, & quercus, & ilex.

Per insitionem enim quercus pyra proferre deprehensum. Viscum insuper rarissimum quercus producunt, quem veteres Dryos Hyphear vocarunt, & Jon poeta sudorem quercus appellavit.

PRODIGIA, ET SACRIFICIA.

Dedala celebrant Platæenses viri, septimo quoque anno hoc more, ad lucum profecti, in quo sunt quercuum annosi stipites, avibus assatas carnes proponunt, diligenterque observant, super qua arbore corvus aliquis raptam carnem B voraverit. Deinde ex trunco Dædalon (hoc est statuam) faciunt. Nam magna Dædala cum Bœotiis vigesimo quoque sexto anno celebrant.

Hujus sacrificii causa fuisse fertur ob Junonem iratam, quam cùm primo impetu placare Jupiter non potuisset (hæc enim in Eubœam fugerat) ad Cytheronem Platensium regem profectus, ejus consilio simulachrum ligneum vestibus opertum, currui imposuit, seque Plateæam Asopi filiam in uxorem ducere simulavit: quòd cùm Juno intellexisset, trepida ad currum illico accessit, & scissa simulachri veste eum fallaciam sibi conari sensisset, nobile commentum admirata, Jovi reconciliata est. Historia hæc ut cum Bœotiis congruat, scire licet Platæenses Bœotiæ indigenas à Plateæa Asopi Regis filia nomen sumpsisse.

De fonte Agryæ monte mira hæc scribit *Pausanias*: siquidem in primis æstatis, ac hyemis temporibus Histri amnis incrementa, decrementaque iisdem ferè diebus occulta naturæ suæ vi subsequi est solitus: quòd si fortè squallentis anni siccitas (ut assolet) quæpiam regionis illius tractum exussisset, ut inde stirpium omnium, & seminum timeretur interitus, C hoc sibi præsens remedium loci illius accolæ adnibere solebant. Jovis Lycei sacerdos Latices prius sacros veneratus, immolatisque hostiis, & re divina, ut moris fuerat, perfecta, quercus ramum, quem ob id gestabat, in sacratum dimittebat fontem, ita ut non penitus immergeretur, sed super aquas nataret: ex illa fontis motione, quam ejectus effecerat ramus, halitum quendam illicò nubeculæ similem sursum ferri credebant, ex quo haud multò post jam exacta consabatur nubes, & multis ad illam concurrentibus nebulis, cœlum omne penitus obducebatur: largique posteà pauco interjecto spatio regionem illam irrorabant imbres.

Quercus alio in splendore apud antiquos fuerunt. Nam Romani, sicut novas fruges, & vina non ante degustabant, quàm sacerdotes primitias libassent, metere pariter non anteà moris erat, nisi sacrificio ritè quercui, & Cereri celebrato. *Virgilius*.

—— *Neque ante*
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri tota redimitus tempora quercu,
D *Det motus incompositos, & carmina dicat.*

Postquam amputatæ segetes sunt hac nostra ætate, quasi quercuum memores viri ad reliquias messium dum commeant à glande, *glaner* dicunt. Tam veneranda itaque quercus, ut in sacris, ignem crassioris corticis quercus, accendere vel adolere nefas esset.

MYSTERIA, ET PLURA ADMIRAMDA SUB QUERCU CELEBRATA IN VETERI TESTAMENTO.

Nulla arbor in sacris literis memoratur, quæ tot mysteriis à Deo, vel Angelis fuerit celebrata, sic ut meritò Crucis Dominicæ materia extiterit.

Subter illam namque, quæ in Mambre, pepigit Deus fœdus cum Abraham: ibi promissiones divinæ sobolis factæ: Isaac ipsi, & Saræ conjugi ibi annuntiatus: Dominus peregrini habitu visus: Angeli hospitio excepti: ac tandem ibi circumcisionis præceptum percepit. Ita ut omnium ferè arcanorum glandifera hæc quercus conscia testis, velut à secretis fuerit. *Genes.* 17. & 18.

JACOB Patriarcha subter aliam quercum in Siehem Idola cum inauribus defodit, ut Idololatriæ cultum aboleret. *Gen.* E *c.* 35. Nam licèt Latinus interpres vertat, sub terebinthum, originale Hebræum legit: subter quercum.

JOSUE fœdus inter Deum, & populum Hebræorum denuò innovavit, quo unanimes polliciti fuerunt non ultra diis alienis servituros, in cujus testimonium, posuit sub prædicta quercu ingentem lapidem, sic enim ait sacer textus. Tulit lapidem prægrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini. *Josue c.* 24.

Debbora quoque insignis fœmina sub quercu sepulta fuit.

Similiter *lib. Judicum* legitur: Venit Angelus Domini, & sedebat sub quercu. *c.* 6.

Veteres, ut securitatem significarent, pingebant aquilam super quercum, cum hac inscriptione: Requies tutissima.

Aptè proinde ex quercu Dominicam Crucem confici voluit divina sapientia, imponens super illam regiam aliquam, Christum scilicet Dominum, de quo dictum est, *Deuteronom. c.* 23. Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos: & cum inscriptione illa, Jesus Nazarenus, quæ cùm Salvatorem significet, perindè fuit, ac si illam aliam apposuisset, Requies tutissima, quia proprium est Salvatoris tutoris tutari, & requiem oppressis exhibere. F

Querela. Querimonia.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

QUerela, Græcè μομφὴ vel θρῆνος, Est autem queror, idem quod lamentor, diciturque à quæ, & res: nam lamentando, quæ res fit, quæ nos agitet, explicare solemus. Hinc querimonia pariter, quod idem est quòd lamentatio, & questus pro lamentatione. *Ovidius*.

.... & quoties aliquos parat edere quæstus;
Sibilat, hanc illi vocem natura reliquit.

EX S. SCRIPTURA.

Eorum, qui conquesti.

Conquerebatur Abimelech Rex Geraræ adversùs Abraham, quod Saram dixisset sororem suam, & ita exposuisset eam periculo adulterii: dicebat autem, Quid fecisti nobis, & C quid peccavimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? rursus expostulans ait, Quid vidisti, ut hoc faceres? *Genes.* 20. G

Cùm Laban persequeretur Jacob, eo quòd deos furto ablatos ab eo existimaret, & tamen eosdem non invenisset, delusa quærens sollicitudine ait sacer textus tumens Jacob cum jurgio, ait: Quam ob culpam meam, aut quod peccatum meum, ita exarsisti post me? & scrutatus es omnem substantiam meam? &c. *Gen. c.* 31.

Querebatur & meritò idem Jacob, cùm filii ab Ægypto reversi nuntiarent Simeonem in vinculis detineri, donec adducerent Benjamin natu minimum, dicebat enim: absque liberis me esse fecistis. Joseph non est semper, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis? In me omnia hæc mala recidi erunt. *Genes. c.* 42.

Filii Israel oppressi operibus luti, & lateris, etiam tunc magis cùm ad Pharaonem primitus ingressus fuisset Moyses, querebantur adversùs illum dicentes, quoniam fœtere fecisti nomen nostrum coram Pharaone, & servis ejus, & præbuisti ei gladium, ut occideret nos. Quibus auditis Moyses, reversus H ad Dominum ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? *Exod. c.* 5.

Querebatur Elias, quòd Jezabel occidisset Prophetas Domini, & relictus esset solus, ut quærerent animam ipsius. 3. *Regum* 19.

Lamentationes, & querimonias Jeremiæ ob destructum templum Domini, Threni copiosè demonstrant.

HISTORICA.

SENIS Iphidis querela, simul aspicientis tria funera, filii Eteocles, filiæ Evadnæ, & Capanei generi percussi fulmine, apud *Eurip. in Supplicibus talis est*;

οἴ μοι τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε
νέοις δίς ἥβαι καὶ γήρασιν αὖ πάλιν,
ἀλλ' ἐν δόμοις μὲν λῷστ' ἀεὶ μὴ κακῶς ἔχειν,
γνώμαισιν ὑγιάσαις ἐξορθώσασθαι.
αἰῶνα δ' οὐκ ἔστιν. εἰ δ' ἡμεν νέοι
δίς, καὶ γέροντες, εἶχ' ὅπως μιάσματων.
διπλᾶ βίου λαχόντες ἐξορθώμεθ' ἄν.

Heu

Heu mihi, cur nam mortalibus non datur hoc juvenes bis A fieri, & senes deinde iterum? In re domestica si quid perperam fit, cura posteriore corrigimus: vitam verò non licet. Quòd si fieremus juvenes bis, & senes, si quis peccasset, duplicem vitam adepti corrigeremus.

Strepsiades in Nubibus Aristophanis, malè acceptus in schola Socratis: sic ait.

φροῦδα τὰ χρώματα φροῦδ' χροιά,
φροῦδ' ψυχὴ φροῦδ' ἰμβάς,
κἀγὼ πρὸς τούτοις ἐστὶ κακοῖς
φροῦδος ἀδῶν ὀλίγω φροῦδος γαμίσκομαι. id est:

Cessi nummique, cessusque color,
Cessa est anima, cessæ soleæ:
Hisque malis accidit & illud,
Dum canto vigil penè interii. Erasmus in Adagiis.

Theophrastus moriens naturam accusasse dicitur, quæ cervis, atque corvis vitam longævam dedisset, hominibus non item, qui vita longa maximè digni essent. *Laertius*.

Cornelia Mitylene Cn. Pompejo marito ex acie Pharsalica profugo occurrit. Procedente ei obviam Pompe- B jo, exanimatamque, atque in ipsum se reiicientem complexo: Video te, inquit, jactari vir non pro tua fortuna, sed mea una hue ejectum scapha: qui ante Corneliæ nuptia quingentis navibus hoc mari es provectus. Quid me videre voluisti, nec duræ reliquisti sorti, quæ tanta te quoque obruit calamitate? Quam sim mulier fortunata, si ante nunciatam Publii Crassi, cui virgo nupseram, apud Parthos cædem expirassem: ac sapiens, si eo defuncto vitam, ut institueram, profudissem? Atqui servata sum, ut essem & Magno Pompejo cladi. Sic fatam perhibent Corneliam, ac Pompejum respondisse: Tu verò unam nosti Cornelia fortunam secundam, quæ tibi quoque forsitan imposuit, quòd solito diutius me sit comitata. Cæterùm hæc nobis, qui noti homines sumus, sunt ferenda, iterùmque periclitanda fors. Neque enim abiicienda spes est illa recuperandi ei huc, qui ex illis recidit. *Plut. in Pompejo*.

Titus Imp. cùm in itinere ad Sabinos febre correptus lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum: multumque conquestus, eripi sibi vitam immerenti. Neque C enim extare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno. *Suetonius*.

Servitores Moschi de dominis suis sæpè conqueruntur, quòd ab eis non vapulent. Credunt enim se dominis displicere, signumque indignationis esse, si non frequentius verberentur, & objurgentur. *Guaguinus in descriptione Moschoviæ, cap.* 4.

* Quies.

DEFINITIO, TE ETYMOLOGIA.

QUies πάυλα Græcis, definitur ab Alberto, id, quod est in re, de cujus aptitudine est, ut moveatur, non est tamen mota. Avicenna definit privationem motus in illo, quod aptum est moveri. Generaliter dicitur quies à miseria, & arumnis apud veteres Ethnicos. D *Consulatur Locus de Otio*.

Nihil autem gratius quiete post laborem, ut de qua E *Ovidius Epist.* 4.

Hæc reparat vires, fessaque membra levat,
Arcus, & arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ,
Si nunquam cesses tendere, mollis eris.

APOPHTHEGMATA.

Chilon dicebat semper damnandam esse quietem, quoties datur honestum otium. Nihil enim est, quod assiduum laborem perferre possit, *Laert. l.* 1. *c.* 4.

Dion dicere solebat, oportere moderatè dominari, & recreari cupientibus id permittendum esse. Remissiones enim, & ab exantlaris laboribus quies, ad novos labores homines præparant. Et sicut arcus, & lyra, ita & homines quiete vigent. *Stob. serm. de dominis, ac servis*.

Nemo adeò in arma promptus est, ut non idem pretium quietis quàm periculi malit. *Tac. hist. l.* 4.

Ceterùm ut quies moderata recreat, ita immodica officit, vireseque corrumpit, prout *in Loco de Otio* luculenter diximus. Hinc Romani, Quieti Deæ templum intra urbis muros erigere noluerunt, sed ante urbem in via Lavicana fanum destina- F runt; Cùm nonnisi ex intervallo quies amplectenda sit, post laborem, & negotia. Unde *Ennius*.

Otio qui nescit uti, plus negotii habet.

Quinarius.

Quære Numerus.

Quinquagenarius.

Ibid. & in Jubilæo.

Quinquennalia.

Vide in Loco de Donatione Tit. Donatio honorifica. Ibi G *Imperialia, Regia. huc Quinquennalia, &c.*

* Quinquennii.

QUI, ET EORUM MUNUS.

QUinquenii Magistratus erant judicio Senatus creati, qui publicos minuebant sumptus. *Plinius Epist. 1. lib. 2. ad Trajanum*. Veritus inquit, ne forte inter Quinquennios crearetur, qui minuendis publicis sumptibus judicio Senatus constituebantur.

Quinquertium. Quinquertiones.

Genus est certaminis, quod πενταθλὸν vocant Græci, H *Vide in Loco de Certaminibus.*

Finis Litteræ. Q.



THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,

ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI.

Littera R.

** Asterisci Titulis sive Generalibus, sive Secundariis, Rebusve sub iisdem contentis præfixi, posterioris Auctarii sunt indices.*

R. Littera.

* Cujus Rei Nota.

A

Littera quòd tremuli soni fit, & lingua palatum feriente efferatur, Socrati instrumentum, & nota est omnis motus. Est etiam nota, & instrumentum irritationis verbalis, quæ scilicet acrimoniam, & mordacitatem conjunctam habet. Ideòque à Persio Littera canina appellatur, quam dicit in magnatum aulis sonare. *Sonat* inquiens, *hic de nare canina.*

Littera. Siquidem canes provocati, irritare solent, & sonum quendam crispante naso qui litteram R. referat, edere, ac deinde mordere.

Irritata canis quod R. quam plurima dicat.

Ait *Lucilius*. Sunt, qui litteram hanc nequant efferre, humidioris linguæ vitio. Alii crebriùs quàm oportet, quod dicitur ῥωτακίζειν.

B * Rabbini. Rabbi.

Definitio, et Etymologia.

Rabbini, vel Rabbi, uti & *Rabboni*, significat magistrum, Doctorem, Principem. Exemplum, & auctoritatem habemus ab ipso Salvatore *Matt.* 23. ubi vetat, ne Discipuli sui vocarentur Rabbi. Immò ipsi Christo nomen Rabbi, & Rabboni imposuerunt, *Joan.* 26. Derivantur autem illæ voces à radice *Rab*, quod magnum, & excellens significat. Estque *Rabbi* vox Syra, & importat titulum excellentiæ, soletque optimatibus tribui. Inde nomen Rabbinorum ad Latinos devenit. Et intelligunt per illud Scribas inter Judæos, & legis Doctores, qui & σοφοὶ quasi sapientes, & præfecti dicebantur, auctore *Hieronymo Epist. ad Alger.*

Eorum Divisio.

Rabbinorum alii temporum rationem, connexion emque respiciebant. Alii minimè. Prioris generis sunt *Thanæi*, quasi docentes: *Amorrhæi*, quod sententiosi essent, & ex illis censetur *Samuel*. Successere his *Seborei*, à rad. *Sabar*, opinari. Hi autem non solebant aliorum decreta, sed suas tantùm enuntiare opiniones, quòd eas legi, ac rationi consentaneas edicerent. Fuerunt alii *Geonim*, è rad. *Gaon.* id est magnificum. Illi enim C cum majestate sua proponebant. Quidam *Marbit se thorach* dicti, quibus in *Thalmud*, hoc est doctrina discipuli multi, ait Helias Rabbi. Posterioris generis erant, qui *Masoretbi* nuncupati, quasi qui eam legem, quam Moyses, Josue, Judices Prophetis, & Ecclesiæ tradiderant, in populo proponerent. Et hi invenisse existimantur apices vocalium, & punctorum: non quòd in pronuntiatione Hebræa non essent ante vocales, sed quòd hisce signis non notarentur, saltem non eo modo, quo postmodum appofita. Hos autem *Masorethas* Elias R. sentit demum extortos post absolutum *Thalmud*, circa annum Christi 500. idque in Tiberiade Mæsiæ juxta *Munsterum*, in Paphlagoniæ Mœsia secundùm *Wooverum*. Fuerunt ex iisdem etiam *Cabbalici*, velut qui rem, & doctrinam acceptarunt. *Thalmudici*, qui certum genus doctrinæ amplexi, suntque modò inter Judæos sapientissimi. Unde *Thalmud* sunt libri, quibus omnes ritus, leges, & instituta Judæorum continentur, ideòque nonnulli eorumdem Jus civile, & canonicum indigitant. Quamvis illius Libri plures sint partes, & non unum habeat auctorem. Priorem enim, quæ *Misnam* appellatur, à R. *Hakkados* cœptam D ferunt in Babylone post templi eversionem: Posteriorem cui *Gemara* nomen imponunt, à *R. Joanne* exaratam volunt in Academia Israelitica. Denique fuere *Medakdakim*, qui omnia subtilius indagarunt, à *dakak* quod est comminuere, indagare. Item *Methargenum*, Interpretes, & paraphrasti, qui Scripturas veritati Hebraicæ tradidere, quamvis quoad Scripturam ipsam non ita sincerè factum, ut Cardinales *Ximenius*, & *Bellarminus* testantur. *Ille in præfatione Complut. edit. hic. lib. 2. de verb. Dei cap. 3. Archiperecitiì* insuper, quorum Justinianus Imp. meminit *Novell.* 146. Presbyteri, & magistri. Et hi omnes suos sectatores, discipulos, ac successorum seriem habuere. De quibus consulatur *Nicol. Serrarius de hoc Argumento.*

RABBINORUM POTESTAS, ET DIGNITAS, Ritus, &c.

Rabbinorum potestas magna aliquando fuit circa traditionem

ditionem legis, correptionem aliorum, immò & excommu- A nicationem sive ejectionem extra Synagogam. Quamvis Justinianus Imp. supra eam coercuerit. Habent enim facultatem alios ad gradus promovendi, & in suum consortium adaptandi; quod faciebant per manus impositionem, exemplo Moysis, qui successori suo manum palàm posuit. *Num.* 27. & Cathedræ collocationem, quam ceremoniam agnoscit *Nazianzenus orat. de S. Basilio*; quæ erat cathedra Moysis, de qua Christus *Matth. c.* 23. Adiiciebatur etiam formula *Enisomech otheca*; *thibich samuch*; Ego te magistrum creo, tu creatus esto. Accessérunt deinde aliæ solemnitates, quarum auctor R. Juda filius Babæ, qui jussu Adriani Imp. fuit occisus. Quando verò Rabbinorum Titulus cœperit incertum. Cœpisse ante Christi adventum, certissimum. Ceremoniæ tamen à Moyse defluxisse videntur, ut supra judicavimus. Erant porrò tres gradus circa inaugurationem Doctorum, correspondentes nostris Doctoribus, Licentiatis, Baccalaureis; nempe *Semicah*, *Chaber*, *Bachur*, quos etiam hodie inter suos observabant. Habent etiam suos collegas Rabbini, quos *Chaber* appellant, quasi socios, & cooperantes: Dein discipulos, quibus secundum id, quod in scientia progrediebantur, nomen imponebant. Unde & varia Discipulorum genera erant, cum aliis à Ju- B venibus, alii à senibus, alii omnino juvenes, alii altiores: alii citiùs, tardiùs alii discerent, qui omnes nominibus distinguebantur. Eratque magna omnium erga Magistros suos observantia, sic ut in silentio dicerent ad eorum pedes, nec nisi longius ab illis consistebant, & dicenti assurgebant, neque fas erat ab illorum doctrina recedere. Hinc institutæ Academiæ, quæ *Mekon thorach*, locus legis appellabantur, & urbes sapientum. Atque hæc de illis generatim suffecerint. Recurrat, qui plura volet, ad libellum *N. Serrarii editum Moguntiæ anno* 1607.

☞ *Require Locum de Judæorum Religione.*

---

* Rabies.

Definitio, et Etymologia.

C Rabies λύσσα, morbus est canum, quo veluti furore acti rapiuntur, nec certo loco consistunt. Hujus indicium animadvertunt, quòd à pane, omnique cibo abstineant, & magna siti torqueantur, spumasque ex ore dimittant, quarum cotactus noxius est; & omnis comitatis, ac blanditiarum obliti, in Dominos insurgant. Transfertur ad homines, estque idem quòd furor. Hinc *Horat. in Arte Poet.*

Archilochum proprio rabies armavit Jambo.

Et Lucretius.

Licet discedere Cæsar Arabie scelerum.

Oritur autem in canibus ex violenta corruptione atræ bilis, & esu carnium putridarum, aut quæ fulmine, vel venenò, ac menstruo tactæ. Hæc enim putredinem adducunt, augent.

☞ *Vide Locum de Furiosis, & Amentibus.*

---

* Rapina.

D

Definitio, et Etymologia.

Rapina Græcè ἁρπαγὴ, Hebraicè *Gazel*, à *Gazal*, spoliavit; definitur injusta rei alienæ, & violenta ablatio. Unde à furto specialiter dicto distinguitur, quòd rapina includat violentiam, quæ fiat Domino rei scienti: hanc autem furtum excludit. Quo fit in genere injuriæ hæc specie differant. Item *S. Thomas* 2. 2. *q.* 66. *art.* 4.

Sumitur autem aliquando tum rapina, tum furtum, pro quacumque injusta acceptione, ut patet *cap.* 4. *si quid* 14. *qu.* 5. *ex Augustino*. Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.

RAPINÆ MAGISTRI.

☞ *Vide Locum de Justitia.*

Exempla S. Scripturæ. E

Simeon, & Levi fratres Dinæ, cò quòd Sichem filius Hemor eam constuprasset, fœdere, quod simulatè cum incolis urbis, & Rege iniverant, quo cavebatur, ut omnes masculini sexus circumciderentur, violato, tertio die quo summus esse solet vulnerum dolor, ingressi sunt urbem confidenter, omnesque masculos interfecerunt, & depopulati sunt eam in ultionem stupri. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus, & agris erant. *Genes. c.* 34.

Filii Israel egredientes Ægyptum jubente Domino, petierunt à vicinis suis vasa aurea, & argentea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptum. *Exod.* 12.

Impia Jezabel occiso innocente Nabal, vineam illius rapuit, & viro suo Achab possidendam dedit. 4. *Reg.* 21.

Nabuchodonosor Rex Babylonis oppugnata, & expugnata Jerosolyma, protulit omnes thesauros domus Domini, & concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israel in templo Domini. 4. *Reg.* 24.

Antiochus misso principe tributorum in civitates Juda, & F Jerusalem, postquam eas dolo circumvenisset, irruit repentè super habitatores illarum, & accepit spolia illorum. 1. *Machab. c.* 1. *vers.* 33.

Historica.

RAPTORES FORTUNARUM.

Per Vim, Quarumlibet.

Qui, Utputa Imperatores. *

Justinianus Imperator, qui principatum adeptus est anno ab Incarnatione Dei 527. ad pœnam interrogandam æque promptus fuit, atque ad crimina audienda: pecuniam, & temerè profudit, & per fas, ac nefas comparavit, aliam in ædificia, alia m ad exequenda consilia, aliam in rem bellicam, & contentionem eorum, qui voluntati ipsius adversabantur, insumendo. Ita factum, ut dum pecunia semper egeret, eam rationibus parum honestis compararet, ac gratiam haberet iis, qui colligendi argenti vias ostenderent. Neque verò ille sic affectus erat; Imperatrix verò illi sive licentia, sive quovis modo faciendæ pecuniæ solertia cedebat. Sed & maritum longo intervallo potentia superabat, & novos eosque varios, G quæstus ingeniosissimè reperiebat. Hinc subditi gemino onere premebantur. Nam & annua tributa exaggerebantur, & nova excogitabantur. Alii, ut perperam de religione sentientes, mulctabantur: alii, ut immodestè, & petulanter viventes, opibus privabantur: alii ob contentionem inter sese: alii denique aliis de causis, quæ omnes breviter recenseri nequeunt. *Zonaras Tom.* 3. *Annalium.*

Principes.

Christophorus III. Bavariæ Dux, Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ Rex dictus, venit in Sveciam regio apparatu, ut regem se meminissent habere. Sacris ritibus de more peractis, ubi proceres convivio pro more accepisset, jam rebus omnibus compositis, cùm omnia in naves reportarentur, comportati sunt etiam thesauri regii, à tot annis collecti. Navigatione in Daniam instituta, exorta tempestas sævissima, naves regias variè jactavit: unam, quæ aurum, & argentum ultra centum millis cum cæteris regii apparatus insignibus vectabat, in oculis suis mergi Rex ipse conspexit. Ita non solùm inde non auctus opibus rediit, verùm etiam plurimis, quas regno intulerat, amissis: multò major jactura in amicis. *Crantzius lib.* 5. *Sveciæ, cap.* 38. Mira Sveciæ H fortuna: non patitur exportari thesauros. Si sinunt homines, mare prohibet: si pacatum est mare, homines vetant. *Idem l.* 8. *Daniæ, c.* 24.

Galeacius II. Vicecomes, arcem Mediolanensem splendidè extruens, ædificio spacium quadratæ formæ ducentorum ferè stadiorum perpetuo muro circumplexus, oportunum ad omne genus venationis addidit, fundis nonnunquam antiquis possessoribus iniquo pretio ademptis, usque adeò impotentes, ut Bartolus è Xysta familia cum paterno agro pelleretur, injuriam frustrà deprecatus, equitanti Galeacio ventrem cultello perfoderit, levi quidem inflicto vulnere, quòd magno casu in ipsam balthei fibulam cuspis incidit. *Jovius in vita Galeacii.*

Duces.

C. Crassus cùm contra Parthos exercitum duceret, pecunias templi Hierosolymitani, quas Pompejus non attigerat, duo

duo millia talentorum abstulit, nec non & totum reliquum
A aurum, usque ad octo millia talentorum. Tulit etiam trabem auream versatilem, trecentas minas pendentem. Mina verò, apud Judæos duæ, & semis tibræ existimantur. Tradidit verò ei hanc trabem custos pecuniarum Eleazarus sacerdos non malo animo, sed dum commissa ei fuisset custodia velorum templi, quæ mira pulchritudine resplendebant in hac trabe pendentia, & Crassum vidisset templi aurum colligere, veritus ne templi omnem ornatum auferret, auream ei trabem pro redemptione omnium dedit: jusjurandum ab eo exigens, nihil aliud è templo erepturum, Crassus verò accepta trabe, fidem non servavit, & templum omne spoliavit. Cujus perfidiæ pœnas dedit, cæsus à Parthis cum exercitu, & auro per os ejus infuso. *Joseph. l.14. c.13. & Sab. l.7. Enn.6.*

MILITES.

Cùm Ferdinandus II. Aragonius, occupata jam à Galliæ rege Carolo IX. Neapoli, profugere esset coactus: Germani, quos in arce Nova Neapolitana præsidia reliquerat Ferdinandus, magis conflictati incommodis, duce Gaspare ad diripiendam regiam gazam convolant, loculorum claustra refrin-
B gunt, qui omni veterum Regum opulentia, atque apparatu referti erant. Tum verò ditati omnes potius quàm expleti, cùm in tanta nobilis prædæ copia, quæ pretium decies centum millium aureorum nummum excessit, neque facci, neq; manticæ militares asportantibus sufficerent: quin & tanto facinori ipsum quoque perfidiæ scelus addiderunt. Actum namque est cum Carolo per Germanos, qui in partibus Gallorum militabant, Bussecco interprete, ut tradita arce certis conditionibus, Gallicæ militiæ adscriberentur. Sunt, qui asserant, Ferdinandum priùs quàm arce excederet, de Gasparis, & commilitonum fide dubitasse, objecissèque gazæ regiæ partem Germanis diripiendam, ut eo spatio sese è manibus illorum eriperet. Cæterùm constat discedente Davalo, tum primum preciosiorem supellectilem in prædam fuisse conversam: quam obrem non multis inde annis Maximilianus Cæsar Gasparem ipsum in Germania ejus patrati sceleris convictum securi percusserit, absoluto Godofredo altero præfecto, qui militum omnium judicio, ne tantum facinus admitteretur, egregiè restitisset. *Jovius l.2. hist.*

Hispani milites primi omnium in Italia, prorsus ex populorum fortunis, stipendiis à suis regibus propter inopiam non solutis, tantæ licentiæ causam, necessitatemque
C præbentibus, vivere cœperunt, à Magno Consalvo circa annum millesimum quingentesimum tertium, ut se, donec pecunias comparasset, alere possent, in varia loca, in quibus populorum sumptibus, isque immoderatissimè ad arbitrium suum abutentes (quod hospitii genus milites Arbitrarium, ac Moderatum appellarunt) distributi, ex quo initio, quia mali imitatio semper exemplum superat, quemadmodum contra boni imitatio semper est inferior, aucta corruptela. Posteà idem Hispani, nec minùs Itali, sive stipendia numerentur, sive non, idem facere instituerunt: adeò ut summo hujus ævi militiæ dedecore, amicorum fortunæ non magis quàm hostium à militum scelere tutæ sint. *Guicciardinus l.6.*

Venetorum exercitus anno millesimo quingentesimo nono, Trevium oppidum diripiens, Ludovici duodecimi Gallorum regis copiis Abduam impunè transeundi potestatem, magno suo cum damno, præbuit, cum eas à transitu facile prohibere potuisset. Quam occasionem Venetos duces cognovisse, & arripere voluisse manifestum est: sed
D neque auctoritate, neque precibus, neque minis unquam milites in direptione, & præda occupatos educere potuerunt: cui rei cùm nulla alia ratione prospici posset, Barth. Alvianus ut illos ad exeundum cogeret, oppidum incendi jussit: id autem remedium serum fuit, cùm Galli jam hostium ignaviam, imprudentiamque deridentes, summa lætitia penitus trajecissent. *Guic. l.8.*

Mos est, ut defuncto Turcarum principe, Judæi & Christiani expositi Turcarum injuriis, qui Byzantii, Peræ, Hadrianopoli, Thessalonicæ, Prusiæve mercaturæ causa degunt, à prætorianis per tumultum mercimoniis, omnique substantia spolientur, prædaque habeantur. Neque priùs milites sacramento rogati in verba novi principis jurant, quàm is omnem prædam donativi nomine concesserit, & per caput suum (quod maximum apud Turcas jusjurandum existimatur) affirmarit, se nullam ex sontibus petiturum pœnam, atque omnem ejus maleficii memoriam abolituram. *Sabellic. supplemen. l.3. ex Jovio.*

Sarohari milites Turci habent stipendium ab Imperatore asprium quatuor per diem (quinquaginta autem aspri ducatum areum faciunt) Homines sunt agrestes, sequentes exercitum omnia vilia opera exercent, sicut Muselmi, & Jaya. His omnibus militia terrestris efficitur. Habet autem Turcarum Imperator præter ordinarium hunc exercitum, alium quendam particularem triginta millium militum, astutissimorum magis quàm fortium, qui quasi grassatores nocte magis operantur quàm die. Hi singulis annis, nonnumquam bis, aut ter prædatum exeunt occultè miro silentio, ut ne vicini quidem egressum intelligant: tanta arte corpora sua, & equorum curantes, ut labor nullus aut inedia illis possit officere. Cùm enim ex otio diuturno saginati corpora pinguia habent, diebus quibusdam quadam lege, ac certa disciplina, exercitioque moderato corpulentiam deponere curant, ut fagina interior medullis inhæreat. Exituri aliud iter divulgant, ut fallant exploratores. Tunc exeuntes duce aliquo itineris, tanto impetu, tam celeriter currunt die, & nocte una, ut nemo absque admiratione audire possit, vel videre talem exercitum: frigoris, caloris, inediæ, viarum difficultatis patientissimi. Nec impedimento levi commoti reverituntur sine præda. Miram habent industriam cognoscendi equos simplici intuitu, ac ju- F
dicandi homines de viribus, quos citrà sanguinis effusionem (nisi necessitate coacti) vivos capiunt, & adducunt. Malunt enim è vivis tributum capere, & usuram, quàm frustra occidere. Habent autem hi secum mercatores, qui captivos mox emptos catenis includunt, & adducunt, ut sint milites in suo itinere expediti. Quandoque verò deferuntur mercatoribus in oppidis habitantibus, qui captos emant. *Cuspin.*

VICTORES.

Herodes rex, captis Hierosolymis, omnem regiam supellectilem in unum congessit: à divitibus quoque ablata, & collecta magna vi auri, ac argenti, totum id M. Antonio, ejusque amicis donavit. Interfecit etiam quadraginta quinque primates ex factione Antigoni regis, appositis ad portas custodibus, qui etiam cadavera scrutabantur, ne quis eorum efferretur pro mortuo. Et quicquid auri, aut argenti inveniebatur, id totum ad regem referebatur, nec ullus finis malorum aderat. Nam bona eorum avaritia domini egentis absumebat: & agri inculti manebant, propter tempus anni Sabbathici, quo Judæis non est ras ferere. *Joseph. l.15. c.1. Antiquitatum.* G

L. Syllæ victoris crudelitas in Marianos quanta fuerit, historiæ abundè satis perhibent. In illo enim bello secuta est honestam causam inhonestissima victoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, cùm bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè civium, prædam suam se vendere. *Cic. l. Offi. c.2.*

QUARUM FORTUNARUM;
RAPTORES SCILICET
Mulierum.

Europa Agenoris filia, ex Sidone Phœnicia à prædonibus dicitur rapta, vectaque in Cretam navi, cujus insigne erat taurus albus, de cujus nomine ferunt tertiam orbis partem hanc, quam nos incolimus, esse dictam. Herodotus Cretensis Græcos fuisse raptores scribit, ut raptum Jus, quam cœperant Phœnices, vindicarent. Paridem quoque, ut Asianos ulciceretur Helenam rapuisse, & hinc initium malorum. Palæphatus Parius sic narrat, fuisse Gnosium quendam vi- H
rum Taurum nomine, hunc, cùm bellum Tyriæ regioni faceret, & alias rapuisse virgines, & Europam Phœnicis filiam è Tyro: unde nata fit fabula. *Ludovicus Vives in librum 18. Augustini de Civitate Dei, c.12.*

Filiam Cydippam Ochimus Rhodius Ocridioni despondit. Cercaphus autem Ochimi frater, qui puellæ amore deperibat, induxit præconem (nam sponsas de more interprete præcone petebant) cùm accepisset Cydippam, domum eam ad se deduceret. Eo facto, potitus Cercaphus puella, fugam concivit. Post cùm jam consensuisset Ochimus, domum regressus est. Hujus injuriæ causa apud Rhodios est receptum, ne ad Ocridionis heroum accedat præco. *Plutarchus in quæstionibus Græcis.*

MUNDI MULIERIS.

Magnus dux Brunsuicensis nefarius, cùm viduam fratris Ludovici, Othonis de Schovenborg Comiti despondisset, mundum muliebrem ejus omnem diripuit. Cùm res ad bellum

bellum pervenisset, ausus fuit Comes Duci occurrere in my-
A rica (ut ferunt) Luneburgensis. Varia aliquandiù fortuna Dux Comitem equo deturbat, prostrato incumbit, vitæ ejus imminens. Nobilis quidam ducem hosti toto corpore incumbentem perfodit. Hic fuit exitus Magni, quem ferunt jurasse, illa se nocte futurum in hostica terra. Tum Comes ne perjurio notaretur affinis suus, duxit eum domum: & inde remisit suis ad sepulturam. *Cranz. lib.9. Saxoniæ, cap.36. & 39.*

MERCIUM.

Missis quibusdam legatis cum Grippone viro clar. à Childeberto Francorum rege Carthaginem, ad Jugundis sororis suæ mortem explorandam: Quidam ex comitibus in frequenti emporio uni mercatorum odoramenta quædam propalam abstulit, in diversoriumque suum se proripuit. Postridie cùm mercator, in publicum prodeuntem, legatum aggressus, suum repereret, rixæque obortæ essent: Austrasianus Afrum interemit. Unde tota urbs correptis armis ad ædes, in quas deducti oratores erant, concurrit, eosque incautos obruendo, duos ex collegis Gripponis interemit. *Æmil. lib.1.*

☞ *Consule Locum de Præda. Furto. Divitiis.*

B RAPINÆ POENA. ☞ *Pete ex Loco de Pœna, Tit. Furti. Rapinæ pœnæ.*

APOPHTHEGMATA.

Plato, furtum pecuniarum, inquit, res illiberalis est: rapina verò impudens. *Stob. serm.10.*

Nero nunquam cuiquam officium delegavit, nisi hæc adiiceret, Scis quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat. Vox prædone, quàm principe dignior. *Erasmus lib.6. apoph.*

F. Vespasianus, quoniam rapacissimum quemque promovere solebat: ut mox dilatatos condemnaret, vulgò dictus est officiatios suos habere pro spongiis, quòd (veluti spongias) & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. *Suet.*

Raptus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

C RAptus est species luxuriæ, & injuriæ, ac propriè dicitur, cùm persona aliqua libidinis causa, vi illata, abducitur. Sive vis illa inferatur personæ abductæ, sive illis, in quorum potestate est, sive utrisque, ut colligit Gratianus *ex cap. 3. De raptorib. 36. q.1.* Ad raptum enim requiruntur tria, vis illata, abductio, & ut fiat causa libidinis.

☞ *Pœnæ raptorum, & pleraque huc facientia, quærantur in Loco de Luxuria, Stupro, Pœna.*

Ratio.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

RAtio, Græcè λόγος, & λογικὸς, rationalis dicitur Hebr. *Tabham*, gustus, sapor, propriè: & metaphoricè sensus, ratio discursus à verbo *Tabha*, gustavit, translatio elegans à sensu externo ad internum. Dicitur etiam *Chescheebbon*, à verbo *Chascheab*, id est, excogitavit ingeniosè, ratiocinatus est. Cognationem habet cum *Chascheab.* investigavit quærendo. Est autem ratio affectus mentis, quæ bonum, malumque discernit, virtutes eligit, Deum diligit. *Secundùm Augustinum de Spiritu, & anima.* D

Ratio est natura intellectualis obumbrata. *secund. B. Thom. 1. Sent. dist. 3. q.4.*

Ratio, & intellectus non sunt idem, quia ratio quandoque, est recta, & quandoque non recta, tam in speculativis, quàm in practicis: sed intellectus semper est rectus *secundùm eundem 1. sent. dist.1. q.1. art.1. & 4.*

Ratio & intellectus non distinguuntur, sicut duæ potentiæ sed sicut diversi actus ejusdem potentiæ; quia intelligere est intelligibilem veritatem simpliciter apprehendere. Ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud intellectum ad veritatem intelligibilem cognoscendam *secund. eundem 1. part. quæst.79. art.8.* Hinc ratiocinatio, quæ est discursus intellectus, ab uno in aliud, à principio ad conclusiones, & in syllogismis & consequentiis.

Ratio, ut est pars prudentiæ, est discursus intellectus, quo applicantur universalia principia agibilium ad particularia, varia, & incerta agibilia. Et sic eam ponit Macrobius *in Commentariis in somnium Scipionis, ex sententia Platonis.*

L.B. Theat. vit. Human. Tom. VI.

PARTITIO.

Ratio distinguitur in superiorem & inferiorem, secundùm E
diversa officia. Nam ratio superior est, quæ intendit æternis conspiciendis, aut consulendis. Conspiciendis quidem, ut secundùm quod ea in se ipsis speculatur. Consulendis verò, secundùm quod ex his accepit regulas agendorum. Ratio inferior est, quę intendit temporalibus rebus. *Aug. l.12. de Trin.*

FUNCTIO.

Ratio est motus animi vera à falsis distinguens, à qua fit ratiocinatio, quæ à Græcis syllogismus συλλογισμὸς, dicitur *Vide Cic. lib.1. de invent. Rhet.*

Persius Satyricus Rationis functionem describit; hunc in modum,

Stat contra Ratio, & secretam gannit in aurem.
Ne liceat facere, id quod quis vitiavit agendo.

Ejus verò situm, & causam tangens *Claudian. 4. Honor.* ita cecinit.

—— *Hanc alta capitis fundavit in arce.*
Mandatricem operum, prospecturamque labori.

DE RATIONIS DIGNITATE,
ET FUNCTIONIBUS.

APOPHTHEGMATA. F

Socrates dicebat, in navigando gubernatori auscultandum esse: in vivendo autem illi, qui plus ratione valet. *Stob. serm. de prudent.*

Idem ejusdem dictum est, Nec equo sine freno, neque divitiis sine ratione tutò quis uti poterit. *Stob. serm.3.*

Diogenes dicere solitus est, fæpiis in vita parandum λόγον ἢ βρόχον, id est, sermonem quàm laqueum. Qui desponderunt animum, ad laqueum confugiunt, cùm ad consolatorium sermonem potiùs sit confugiendum. Nam animo ægrotanti medicus est oratio, Nec absurdus fuerit sensus, si λόγον accipias pro ratione: quasi diceret, qui desponderunt animum, confugiant ad rectam rationem. *Diogenis Dictum extat apud Laert. lib.6. c.2.*

Phocylides, Rationem homini telum ferro acutius esse, dicebat. *Stob. serm.3.*

Aristoteles dicebat rationem recedere ab omnibus, quæ per iram committuntur, eamque fugere iracundiam tanquam G
acerbum tyrannum. *Stob. serm.20.*

Epictetus. Ejus dictum est, Turpe esse muneribus apum potionem edulcare. Rationem autem deorum munus, non adhibet ad malitiæ dulcandum amaritudinem. *Stob. serm. 13.*

Idem. Quemadmodum, inquiebat, si conceptus, aut natus esses in navi, non ideò statim ejus gubernator fieri velles, neque enim natura ad te navis pertineret: sic neque opum abundantia, sed ratio. Id igitur quod tibi naturale, & cognatum est, videlicet rationem, proprium tibi censere, & ejus curam suscipere debes. *Eod. serm.*

Idem, Non paupertas, inquit, molestum facit, sed animi cupiditates, neque divitiæ à metu liberant, sed ratio. Si tibi rationem igitur comparaveris, neque divitias desiderabis, neque paupertatem accusabis. *Ibid.*

Claudii Manilii prudens scitum est:

DIS *proximus ille est,*
Quem ratio, non ira movet: qui facta rependens
Consilio, punire potest mucrone cruento.

☞ *Vide Intellectus. Anima.*

Ratiocinatio.

☞ *Quære disputatio.* H

* Rationale.

Ut est vestis sacra Judæorum.

QUID, ET UNDE DICTUM.

RAtionale erat vestis sacra Pontificis summi, & ornamentum insigne superhumeralis ejusdē. Dicta est ab Hebrēis חשן chosen, à Græcis λόγιον à Latinis Rationale. De hac autem veste ita *Exod.c.28.* præcepit Deus: Rationale quoque Judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta. Quadrangulum erit, id est, æquilaterum, habebit enim palmum, id est, 12. digitos in longitudine, & totidem in latitudine. Et duplex, id est, duplicatum, sive duplici tela constans, ad hoc ut gemmas in eo collocandas posset sustinere, ponetque in eo quatuor ordines lapidum, &c. *Exod.c.28.*

Dictum est autem Rationale, primò, quia Pontificem, & A consequenter populum admonebat eorum, quæ summa prudentia, & ratione ipsi in suo officio, sacrificiis, & sacerdotio consideranda erant, quæque significabantur per nomina filiorum Israel per *Urim & Tummim*, id est, per doctrinam, & veritatem, quæ rationali inscripta erant.

Secundò, quia Rationale hoc dabat oracula, quasi mente, & ratione provida, & prophetica præditum foret: unde rationale posset & vocale, & verbale vocari, utrumque enim significat græcum λόγον, inquit *S. Aug. quæst.* 116. Utrumque etiam significat Hebræum, *chosen*. Nam à radice חשן *chasa*, id est, tacuit, dicitur, *chosen* per antiphrasin, quasi minimè tacens, vel quod tacens liceret, daret tamen oracula per sacerdotes. Secundò alludit *chosen* ad חסן *chosen*, per *Samech*, id est, fortitudo & projectio, quia rationale hoc muniebat, & protegebat pectus sacerdotis instar loricæ.

Tertiò alludit *chosen* per metathesin ad נחש *nachas*, id est divinavit, oraculum dedit.

Hinc dicitur Rationale judicii, judicii inquam, partim humani, hoc est debiti, (hoc enim Hebræis significat judicium) & officii sacerdotis & populi Israel, cujus, ut dixi, eos admo- B nebat; partim divini, quo scilicet Deus sententiam suam dicebat per Pontificem. Pontifex enim Rationali indutus de rebus dubiis consulebat Dominum, & ab eo de iisdem erudiebatur, tanquam fungens munere Pontificio nomine totius populi, ac mox ipse Dei judicium, id est, sententiam, & oraculum populo enuntiabat.

LAPIDES RATIONALIS Qui, Eorumque Significatio.

Jussit Deus in Rationali poni quatuor ordines lapidum, in versu primo, inquit Scriptura (quod ordo ille versus scriptus videatur) erat lapis Sardius, Topazius, Smaragdus. In secundo Carbunculus, Sapphyrus, Jaspis. In tertio Ligurius, Achates, Amethistus. In quarto Chrysolitus, Onychinus, Beryllus; Inclusi, inquit Moyses, auro erunt per ordines suos, habebuntque nomina filiorum Israel. Duodecim nominibus celabantur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.

C Nec verò arbitror, in his nominibus fuisse positum nomen Levi, ut existimavit Abulensis; sed loco Joseph positos esse duos ejus filios Ephraim & Manassem, quos Jacob adoptavit, & dici voluit suos: & singuli suæ tribus principes erant, ita tamen, ut Ephraim, qui minor natu erat, ponatur ante Manasse; quoniam à Jacob prælatus est Ephraim majori fratri, ut videmus *Genes.* 48. Causa est, quod si ponebatur Levi, necesse erat præteriri Ephraim, aut Manassem, atque ita non essent in lapidibus nomina duodecim tribuum, semper enim duodecim tribus intelliguntur, exclusa tribu Levi. Quare nec sacerdos pro hac tribu oraret, nec ejus recordari videretur, quod illa ferre non posset. Nam tribus Levi non præteribatur, etiamsi ponerentur duo filii Jacob, quoniam ipse Pontifex, & omnes sacerdotes, ac ministri templi erant ex tribu Levi, & eam repræsentabant, talesque futuri erant, ut ipsi potius pro aliis orarent, quàm alii pro ipsis.

Idipsum *Josephus* significavit, cùm dixit: His erant sculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum auctores habemus, &c. *Et postea cap.* 11. ait: Pro Levi autem allegit inter auctores tribuum Manassem Josephi filium, & Ephraim D pro Josepho; hos enim Jacobus in adoptionem à Josepho impetraverat, sicut suprà diximus, &c. *Ita Ribera lib.* 3. *cap.* 11. *de Templo*. qui etiam nomina lapidum exponit, eaque applicare conatur singulis tribuum Principibus. Verba illius ex fide adscribam.

In primo ordine, inquit, primus est Sardius, qui & Sarda dicitur. *Plin. lib.* 37. *cap.* 7. hic translucet, & ignis habet speciem. Convenit hoc Ruben: qui priùs igne libidinis incensus ad patris concubinam accessit, & sicut Sardius translucet, ita ejus ignis patri notus fuit. *Genes.* 35. Abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris sui, quod illum minimè latuit. Inter translucentes lapides nullus tardius suffuso humore hebetatur, quàm Sardius, ut ait *Plinius*: ita Ruben tardius, ac minus quàm, vel reliqui fratres suffuso invidiæ humore hebetatus est, id est fulgorem suum amisit, cum de occidendo Joseph agebatur. *Genes.* 37.

Reperiuntur etiam, ut scribit *Idem*, circa Ægyptum Sardii, qui bracteæ aureæ sublimuntur, talemque hunc Sardium fuisse probabile est, cum circa Ægyptum fuerint filii Israel, quo tempore hæc fiebant. Itaque Ruben tametsi in eo, quod foris apparebat particeps parricidii illius videretur, tamen in- E ferius bracteas aureas habebat, quia charitatem in corde servabat, & Josephum incolumem servare cupiebat. Ut legimus *Genes.* 39.

Secundus lapis est Topazius, qui viridis est, & omnibus ejus coloris gemmis præfertur, auctore *Plinio lib.* 37. *cap.* 8. Significat Simeonis præsentem animum, & timori non cedentem, qui cum fratre Levi stuprum fororis Dinæ plurimis interfectis vindicavit. *Genes.* 34.

Tertius Smaragdus, qui maximè viridis est, & oculorum aciem lassam recreat, & gratissimi coloris est, *Plin. lib.* 37. *c.* 5. Si tertius Patriarcharum esset Levi, sacerdotium, & doctrinam posterorum ejus animos omnium recreantem significaret. Sed quia non eum in hoc lapide, sed Judam positum putamus, significat ejus fortitudinem, & regiam potestatem in hac tribu, quæ semper usque ad Christum quadantenus ratione mansit, in quam universus Israel oculos cum lætitia convertebat, ut per eum ab hostibus liberaretur. Et quia hic lapis Divinæ naturæ similitudinem habet in multis, quæ semper viret, & pulcherrima est, cum summaque voluptate spectatur: rectè tribuitur Judæ, ex cujus tribu natus est Christus verus F Deus, & homo semper vivens, & genus humanum æterna donans libertate.

In secundo ordine primus lapis est Carbunculus: de quo *Plin. lib.* 37. *cap.* 7. de ardentibus gemmis sermonem instituens, ait: Principatum tenent Carbunculi, à similitudine ignium appellati, cùm ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam apyroti vocati. Hic lapis tribuitur Dan propter tribum ejus, cujus magna fuit fortitudo, quæ ad similitudinem ignis exussit urbem Lais, *Jud.* 18. Et maximè propter Samsonem, qui velut ignis quidam fuit in Palæstinos. De hac fortitudine scriptum est *Deut.* 33.

Secundus lapis est Sapphirus, quæ cœlestis coloris est, id est, cærula, & aureis punctis collucens, ut ait *Plin. lib.* 37. *cap.* 9. Indicat cœlestes mores nonnullorum Apostolorum, qui fuerunt ex tribu Nephthali, ut est in *Psal.* 67. Principes Juda duces eorum, Principes Zabulon, & Principes Nephthali. Aurea puncta Sapphiri significant verba Apostolorum de divinis mysteriis. *Genes.* 49. scriptum est: Nephthali cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Apostoli enim quasi cervi emissi à Christo velociter per or- G bem terræ discurrerunt, emittentes pulcherrima, ac salubberrima eloquia.

Tertius est lapis pulcherrima gemma, virens, & translucens, & magnæ firmitatis. Lege *Plin.* 37. *cap.* 8. Indicat magnam, & manifestam omnibus fortitudinem tribus Gad, & sanctitatem ipsius Patriarchæ. *Deuter.* 33. Benedictus in latitudine Gad, quasi Leo requievit, cœpitque brachium, & verticem, &c. In tertio ordine primus est Ligurius, pro quo Græcè legitur λυγδῖον: Qualis verò sit lapis Ligurius non constat. Verisimile est, esse Hyacinthum; ita *Hieronymus*: Satis miror, ait, cur Hyacinthus pretiosissimus lapis in horum numero non ponatur: nisi fortè ipsi est alio nomine Lyncurius. Scrutans eos, qui de lapidum scripsere naturis, atque gemmarum, Lyncurium invenire non potui, &c.

Ribera suspicatur, Lygurium genus esse Carbunculi, cujus meminit *Plinius lib.* 37. *cap.* 7. his verbis: Est & Anthracitis appellata, in Thesphortia fossilis, carbonibus similis. Falsum arbitror quod in Liguria nasci tradiderunt, nisi fortè tunc nascebatur. Esse in iis & præcincta candida vena traduntur. H Harum igneus color, ut superiorum est, peculiare quiddam, quod jactatæ in ignem velut mortuæ extinguuntur, contra aquis perfusæ exardescunt, &c. Fortè hæc gemma, quam prisci auctores in Liguria nasci tradiderunt, inde etiam apud veteres dicta est, Lyguros, aut Lygurum: nam y. pro v. poni & in v. verti videbunt, qui observaverint. Convenit Aser propter ejus caritatem, & copiam spiritualium bonorum in terræ bonis judicatam. *Genes.* 49. Aser pinguis panis ejus, & præbebit delitias regibus. *Deuter.* 33. Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum, &c. Ascensor cœli auxiliator tuus.

Secundus lapis est Achates. *Plinius lib.* 37. *cap.* 10. Achates in magna fuit auctoritate, nunc in illa est, reperta primùm in Sicilia, juxta fluvium ejusdem nominis, posteà pluribus locis, excedens amplitudine, numerosa varietatibus diversis mutantibus cognomina ejus, &c. *Isidorus lib.* 16. *Etym. cap.* 10. addit: Est autem nigra, habens in medio circulos nigros, & albos, junctos, & variatos, &c. Tribuitur Issachar propter varie-

varietatem virtutum, & propter sanctitatem tribus ejus, quæ A cum esset in tenebris, id est, inter peccatores, candorem non amisit, & peccatores ad justitiam vocavit: *Deut.* 23. de Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis, populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas justitiæ, id est, Tantæ pietatis erunt, ut ad templum vocent alios, & victimas Deo gratissimas immolent.

Tertius lapis est Amethystus, quæ ad vini rubri colorem accedens tandem in violaceum desinit, *Plin. lib.* 37. *cap.* 9. Significat caritatem, & mores cœlestes Zabulon, & tribus ejus, de qua dictum est, quod modo retulimus: Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas justitiæ; præsertim cùm ex hac tribu quidam Apostoli fuerint, ut *ex Psal.* 67. intelligitur: Principes Juda, duces eorum, principes Zabulon, & Principes Nephthali.

In quarto ordine primus lapis est Chrysolitus, quæ aureo colore translucet, ut ait *Plin. l.* 37. *cap.* 9. sive ut scribit *Isidorus l.* 16. *Etym. c.* 14. auro similis est cum marini coloris similitudine. Datur Ephraim propter regiam potestatem, quam E ejus tribus habuit in Jeroboam, & ejus posteris: & quod quasi mare multiplicatus sit. Ita de eo dixit Jacob. *Genes.* 48. Et semen illius crescet in gentes.

Secundus est Onychinus, Onyx, sive lapis Onychinus, ab humani unguis similitudine carni impositi dictus est, auctore *Plin. lib.* 37. *cap.* 6. Candorem virtutum significat, qui fuit in Joseph patre Manasse, & in ipso Manasse, cum caritate conjunctum, & cum humanitate.

Ultimus omnium lapis est Beryllus viridis gemma, quæ sexangula forma ponitur, quoniam hebescit, ni color ei surdus repercussu angulorum excitetur, *ex Plin. lib. eodem cap.* 5. Convenit Benjamin, qui perfectione virtutum, quę senario numero designatur, à Deo expolitus est, & mirum fulgorem emisit. Sed maximè illi tribuitur propter Apostolum Paulum, qui fuit ex ejus tribu. *Deuter.* 33. Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Hoc est: In eo Dominus confidenter habitabit, quasi in thalamo suo, & inter humeros ejus, id est, onus ejus erit, ipsum solùm portabit Benjamin, nec C aliis se subiiciet.

RATIONALIS EXCELLENTIA.

Præter has gemmas, aliamque Rationalis fabricam, quæ meritò reverentiam erga illud excitare debebat, aliam illius excellentiam indicat Scriptura suprà, cùm dicit, jussum à Domino fuisse, ut in eo poneret Doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, &c. Pro verbis doctrinam, & veritatem habetur Hebraicè *Urim, & Tummim*.

Locus hic admodum obscurus est, & à variis variè exponitur. Placet sententia Cornelii à Lapide Commentario hujus loci, qui dicit satis patere primò ex Scriptura, Deum per *Urim* consultum solere respondere, & dare oracula, vel potius *Urim* hoc alibi non usurpari, nisi ubi Dei responsum suscitantur per Pontificem, vestibus pontificalibus, & rationali, maximèque *Urim* indutam: ita enim *Num.* 27. 21. dicitur Eleazar consulet Dominum. Hebr. est: Eleazar interrogabit Dominum in judicio *Urim*. Similia sunt 1. *Reg.* 22. 15. *in Hebræo & c.* 23. *vers.* 2. *& 4. & cap.* 28. *ver.* D 6. *& 1. Esdræ* 2. 63. *& 2. Esdræ* 7. 65. *& alibi*. Sicut enim Deum consulebant per Prophetas, ita & per Pontificem pontificalibus *Urim*. indutum. Unde addit idem hæc duo nomina *Urim, & Tummim*, id est, doctrina, & veritas, inscripta fuisse rationali, ita ut, cum dicit Scriptura. Pones in Rationali doctrinam, & veritatem, sensus sit; inscribes in Rationali hæc duo nomina, Doctrina, & veritas, sicuti tiaræ Pontificis inscripta fuerunt duo verba Sanctitas Domino.

Hic planus, & simplicissimus est sensus verborum Scripturę, quæ vix alium patiuntur: nam cum fusè descripsisset Moyses duodecim gemmas Rationalis, & immediatè ante hoc præceptum de ponendo *Urim, & Tummim* in Rationali, rursum duodecim gemmarum clarè meminisset, quorsum quæso paulò post, eosdem tam obscurè nominibus *Urim, & Tummim* inculcaret?

Secundò, hanc sententiam suadent Septuag. qui *Urim, & Tummim* vertunt δίδασκω καὶ ἀλήθειαν, id est manifestationem, & veritatem; & noster interpres, qui veritatem: quis enim non videt, planè detortè duodecim gemmas, licèt ad oraculum positas in Rationali, vocari doctrinam, & veritatem? Si id voluit Spiritus S. cur id non expressit in Hebræo, B aut saltem cur per aliquem interpretum id non explicavit, dicendo, Pones *Urim, & Tummim*, id est, Pones oraculum in Rationali? Jam vero dum passim vertunt: Pones in Rationali doctrinam & veritatem, quid aliud significant, quàm hæc ipsa inscripta fuisse rationali? idque sat significat *he* demonstrativum, quod in Hebræo additur, & præponitur *Urim*, & *Tummim*, quasi dicat הא *Urim* וא *Tummim* pones, & scribes in Rationali.

Tertiò, quia hanc sententiam aliis præfert *S. Augustinus q.* 117. *Philo l.* 3. *de vita Mosis*, *Hubertus*, *Hugo*, *Cardin. & Victorinus hic Radulphus lib.* 6. *in Leviticum c.* 1. *Alcazarius in Apocal.* 11. *notat.* 7. *Bellarm. lib.* 4. *de Pontifice cap.* 3. Favet etiam *S. Hieronymus ad Fabiol. & S. Gregorius* 2. *part. pastor. c.* 2. *& Rabanus hic. Et S. Cyrillus in expositione Symboli Nicæni*, ubi sic ait: In pectore summi sacerdotis fuere lapides duodecim, in quorum medio figuratum erat manifestatio, & veritas, duo iterùm alii lapides. Cæterùm per hos duodecim, Apostolorum chorus enigmaticè demonstrabatur, quasi in circulo Emanuelem, qui est manifestatio, & veritas, cingens. *Vide plura apud eundem Cornelium, & Riberam supra*.

CAUSA, ET SYMBOLA.

Cur verò *Urim*, & *Tummim*, id est, Doctrina, & veritas, inscripta fuerint Rationali, historica, & litteralis causa fuit, ut per hoc sacerdotii dignitas commendaretur populo, quando Pontificem Rationali Urimque indutum edoceri à Deo de futuris eventis, & vice Dei oracula fundere cernebant, non quòd per has voces *Urim & Tummim*, in Rationali acu pictas, Deus responderet, sed quod per Pontificem, iis quasi pontificalibus indutum, & fungentem jam munere Pontificio, Deus revelaret illa, de quibus consulebatur: idque hæc Script. *Urim*, & *Tummim* significabat, scilicet Pontificem rationali indutum esse in *Urim*, & *Tummim*, id est, accipere à Deo doctrinam, & veritatem dubiorum, de quibus cum consulebat.

Urim ergo non oraculum, sed index erat oraculi: & cùm G Scriptura dicit, Deum per *Urim* consultum esse, aut respondisse, id metonymicè explicandum est, ut significetur, Deum respondisse per Sacerdotem rationali, in quo erat *Urim* indutum.

Quod ergo dicitur 1. *Esdræ* 2. *vers.* 63. *& Nehemiæ* 7. *vers.* 66. Dixitque Atherfa eis (sacerdotibus, non invenientibus suam genealogiam) ut non manducarent de Sanctis Sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus, atque perfectus, Hebraicè est: donec surgeret Sacerdos in *Urim*, & *Tummim*, hoc est, donec surgeret Pontifex aliquis, qui per Rationale, & *Urim*, modo jam dicto, doceretur, perfectèque intelligeret à Deo, an illi, quorum incerta erat genealogia, habendi essent sacerdotes, necne.

Simili modo apud Ægyptios, inquit, *Ælianus lib.* 14. 34. summus sacerdos (qui & supremus erat judex) gestabat collo appensam imaginem ex Sapphiro, quæ appellabatur Veritas; atque innuit *idem Ælianus*, hanc veritatis imaginem, in ipso Sapphiro fuisse impressam.

Secundò, allegorica causa fuit, ut Pontifex *Urim* gestans, & oracula fundens, typus esset Christi summi Pontificis, & H Prophetæ, per quem veritas facta est, & ad nos delata è sinu patris. *Joan.* 1. *vers.* 17. *&* 18.

Christi ergò, & Christianorum pectus, ornet veritas, quasi monile divinum, & speciosissimum. Nam ut ait *S. August. epist.* 9. incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum quàm Helena Græcorum. Pro ista enim fortius martyres nostri adversùs hanc Sodomam, quàm pro illa mille heroes adversùs Trojam dimicaverunt.

Tertiò, moralis causa fuit, ut sacerdos gestans *Urim*, & *Tummim*, id est illuminationem, sive doctrinam, & veritatem, atque perfectionem, admoneretur jugiter sui officii, videlicet eum debere habere primò *Urim*, id est illuminationem, & doctrinam, tum studio, tum magis pietate, & oratione acquisitam. *Deuter.* 17. 9. *& Malachiæ* 2. 7. Rursum *Urim*, id est, inflammationem, & zelum, quo populum ad Dei legem, & amorem accendat. *Urim* enim Hebraicè, & lucem, & ignem lucentem significat: unde Abraham ductus dicitur de Ur, id est, de igne Chaldæorum. Hinc ab Hebræo *ur* deducunt aliqui latinum Uro: Lux enim illuminat, calefa- cit

cit, & urit. Talis *Urim* erat S. Joannes Baptista : erat enim
A ipse Lucerna ardens, & lucens.

Secundo, eum debere habere *Tummim*, id est veritatem, tum in corde tum in ore, tum maximè, in vita, puta integritatem, & perfectionem vitæ; hanc enim significat *Tummim*. Denique eum debere esse interpretem & tutorem veritatis publicæ id est, justitiæ, ea enim rempublicam magis conservat, quàm fortitudo. Unde Agesilaus princeps rogatus, utra virtutum harum esset præstantior, respondit; Nullus usus est fortitudinis, nisi adsit justitia; omnibus autem justitiam conjunctis nihil opus est fortitudine. Pontifex ergo sit Melchisedec, id est, rex justitiæ.

Tropol. quomodo in sacerdotibus nostris requiratur tàm *Urim*, quàm *Tummim*, id est, tam doctrinæ splendor, quàm veritas, & integritas vitæ. *Vide apud S. Hieron. de vestibus sacerdotalibus, & Gregorium 2. p. Pastor. cap. 3.*

---

* Rationales.

Qui olim, Et Quod Ipsorum munus.

B Rationales, & Græcis dicti λογικοί, & λογοθέται, ratiocinarii, qui rationes imperii, res fisci, tributa, & vectigalia tractarent : propriè tamen rationales dicti sunt procuratores solius rei privatæ, ad quorum curam universi fundi templorum pertinebant. *l. 4. c. de fundis rei privatæ*, Rationali summarum olim dati pro salario centum Philippei, præter frumentum, vinum, oleum, argentum, laridum, fœnum, paleam, hordeum, equos. *Pollio in Claudi.* Antoninus Pius rationes omnium provinciarum apprimè scivit, sicut & vectigalium, faber onerum provincialium, ait *Capitolinus*.

Rationalis Urbis Romæ res fiscales tractat, de quibus Constantinus ad eum scribit *L. 14. C. Theodos. de Appellat. & l. 18.* Quoties Rationalis, vel officii necessitate poscere, vel ex prærogativa rescripti inter privatos judicaverit. Fuit & Rationalis summarum summæ, de pecuniis dicuntur numero comprehensis. *Ulpianus lib. 46. ad Sabinum*, tot esse stipulationes, quot summæ sunt.

C Constantius A. & Julianus Cæsar scribunt verecundo rationali summarum *lib. 7. C. Theod. de jure fidei.*

Rationales viri perfectissimi dicuntur, *apud Lampridium in Alexandro.*

Imperator Constantius ad Æmilium virum perfectissimum Rationalem, *L. 2. C. de bon. vacant.*

Rationalis summarum Italiæ, rationales in singulis provinciis commorantes, *L. 1. C. de Theod. de incorporat.*

Rationalis Fiscalis commodi curam gerit *L. 28. C. Theod. de Appellat.*

Rationalis tium provincialium, *L. 1. C. Theod. de comm. divid.*

Rationales, & magistri rei privatæ, *L. 2. C. Theod. de jure Fisci lib. 14. C. Theod. de decurion.*

Rationales rerum privatarum, *C. Theod. lib. 6. de divin. offic. Ammian.* Rationarius apparitor è mercatore opulento Mesopotamiæ ducis tunc protector.

Item circa raciocinia versabatur. *Firm. lib. 4. 26.* Curatores, vel principales civitatum publicis rationibus præpositos Ra-
D tionales, & qui Fiscales rationes fidei semper officio exigunt. *Ammian.* Rationalis magistri peditum, item sub magistro equitum rationes militarium numerorum tractant.

Ratiocinatius quis fuerit, ostendit *Ammianus. lib. 18.*

Antonius quidam ratiocinarius apparitor circa ratiocinia versabatur, qui, vel quorum virium milites, ubi agant, vel procinctus tempora, quos intuentur, describens itidem armorum, & commeatuum copias, aliaque usui belli futura, an abundè suppetant, indefessa scisitatione percontans *lib. 15.* interrogato Remigio, etiam tunc ratiocinario apparitiones armorum magistri.

Eorum officia.

Rationales curabant, ut tribus pensionibus possessores fundorum patrimonialium, & Emphyteuticorum omnem summa ratiociniis publicis inferrent. *lib. 4. C. de collat. fund. patrimonial.*

Pallas à rationibus Pandii fuit, quem Nero demovit cura rerum. *Sueton. Ner. cap. 28. Tacit. lib. 13. vet. lapis.*

Pallans Cæsaris Neronis servus adjutor à rationibus. *Symmachus lib. 10. Epist. 55.*

Rationalis vir perfectissimus de bonis vacantibus judicat. *L. 2. Theod. de bon. vacant.* E

Constantinus Augustus ad Priscum Rationalem. Quoties jure suadente aliquorum bona ex officio tuo fuerint occupata, breves eorum plenissimos ad virum perfectissimum comitem; & amicum nostrum mitti jubemus, ne fraudibus Cæsarianorum minuatur pœna contra rationalem, & officium ejus, proposita V. inscriptio, Donatianus vir perfectissimus, Rationalis devotissimus numini, majestatique ejus : *Symmachus lib. 10. ep. 43.* Rationalem divini principis *ep. 55.* Rationalis domus augustissimæ decidit causas ad fiscum spectantes. *L. 5. L. 8. C. ubi caus. Fiscal.* Rationalis sententia, ac judicium, *L. 49. L. ul. C. Theod. de appellat.*

Genera.

In Occidente duo erant Rationales, in Oriente solus Rationalis Ægypti. *Tacit. lib. 4. An.* Lucilium Capitonem sub Tiberio procuratorem Asiæ, Catum, Decianum Britanniæ, Julium Pelignum Cappadociæ sub Claudio, Julium Colonum Ponti. *Tacit. lib. 12. Annal. lib. 2. hist. 1.*

Albinum Mauritaniæ sub Nerone, Cornelium Fuscum Dalmatiæ, Zozimio Syriæ procurator sub Valeriano, ut *Pollio in Claudio* scribit.

Alexander Rationales citò mutabat, ut nemo, nisi annum F compleret, eosque, nisi boni essent, oderat, malum necessarium vocans, ait *Lamprid.*

Cæsaris Rationales solam rem privatam tractabant, procuratores Cæsaris in provinciis Cæsaris omnia vectigalia, *Tacit. l. 12.* qui ad rem sacri ærarii admittebantur procurandum, satisdationibus dignis administrationem suam roborabant, *l. 14 C. de muril.*

Hadrianus omnes publicas rationes ita complexus est, ut domum privatam quivis diligens paterfamilias non satis novit. Rationarium imperii ab Augusto institutum. Tabularium Cæsaris beneficiorum liber. *Eus. lib. 8. hist. Ec.* in singulis urbibus ait fuisse λογιστὰς καὶ ἐρωτηταὶ, Rationales, & Prætores.

Tribunarius vinarius in Notitia Imper. dicitur Rationalis. *Hæc ex Julii Cæsar. Buling. Comment. de Imperatore &c.*

Rationarium.

☞ *Vide Locum de Scriptione. Tit. Genera Scripturarum.* G

---

* Ratio reddenda.

☞ *Consulatur Titulus de Judicio Extremo. Conscientia, ubi in particulari agitur de illius Scrutinio, ad exactam dati, acceptique rationem reddendam necessarie, & utili.*

Exempla, et Apophthegmata.

CHristus Dominus non semel reddendæ rationis necessitatem nobis inculcavit, dum sub parabola hominis divitis villicum dissipatorem ad rationem reddendam compellentis, eam proponit *Lucæ c. 16.* & nos omnium duntaxat bonorum dispensatores docet. Atque alio loco nempe *Matth. 28.* aliam parabolam adducit hominis regis, qui voluit rationem ponere cum servis suis : Item hominis profecti in longinquam regionem, qui ubi H revertisset, posuit rationem cum servis, quibus abiens bona sua reddiderat, & ut iis negotiarentur, donec veniret, mandaverat. *Matth. cap. 25.*

Porrò tam exacta omnium ratio reddenda erat, ut alibi dicat, Bonus homo de thesauro suo bono, quem ei (Deus concredidit) profert bona, & malus homo de thesauro suo malò (quem sibi ipse per malitiam, & impœnitentiam thesaurizavit) profert mala, & addit: Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum (nempe quod caret ratione justæ necessitatis, aut piæ intentionis) quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem homines in die judicii.

Et hoc est, quòd in Symbolo Athanasii credit, & canit Ecclesia; unusquisque de propriis factis suis reddet rationem.

Abbas quidam religiosus, & pius, qui animo sæpius volvens Salvatoris de reddenda ratione dictum, conspicabatur quendam è suis profusius ridentem, & quasi stomachatus coram cœlo ait, & terra rationem totius vitæ nostræ acturi sumus? & tu rides. *In vit. P. de Compunctione.*

Incom-

Incomparabili vitæ innocentia Joannes Episcopus Ros-
A fensis, dum ob amplissima merita à Rege Henrico VIII. antequam Ecclesiæ primatum sibi vindicaret; ad primam Antiqiæ Cathedram sollicitaretur; ea, quam obtinebat, contentus, Beatum me existimo ajebat, si de minuto hoc grege mihi concredito in die Domini rectè valeam respondere. Sciebat vir sanctus, Dominici gregis sanguinem de manibus Pastorum requirendum. *Ex N. Sander. lib. 1. de Schism. Anglic. Beserlinck in Apoph. Christ.*

☞ *Vide Judicium extremum.*

---

* Rebellio. Rebellis.

Definitio, et Etymologia.

REbellio, quæ Græcè ἀφεστηκυῖα, est species, sive filia superbiæ, orta ex simulata confessione delicti, qua honorem aliquem quis ambit, aut tueri laborat. Quod ubi non succedere advertit, ad impudentiam delabitur, & qui prius B proximum contemptum habuerat, jam etiam superiores despicit, & contemnit.

Unde Rebellis propriè dicitur, qui legitimo Domino parere recusat, aut mandata Superiorum flocci pendet. Strictiùs tamen Rebelles vocamus, qui in fide, qua Principi, aut Reipublicæ obligati existunt, non perstant, aut bellum indingrant, postquam victi semel, aut deditione in gratiam fuerint recepti, & dicuntur Apostata Græcis.

Quomodo Punita.

☞ *Vide Locum de Pœna, & Punitione. Tit. Defectionis, Rebellionis, Transfugii.*

REBELLES.

Qui, Utputa.

Populus. Communitas.

Quibus.

Nempe Deo, Principibus, Superioribus.

Ex S. Scriptura.

C Rebelles se adversus Dominum, & Moysem exhibuerunt in deserto Israelitæ, non audientes præceptum illius de non servando manna usque mane : quidam enim dimiserunt ex eis usque manè, & scatere cœpit vermibus, & computruit, & iratus est Moyses contra eos. *Exod. cap. 16. vers. 20.*

Reversis Exploratoribus, qui jubente Domino missi à Moyse fuerant ad indagandam Terram, quam daturus iisdem erat, postquam illi terræ, quam inspexerant, detraxissent coram populo, omnes vociferati sunt contra Moysen, & Aaron, dixeruntque alter ad alterum, Constituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum. *Numer. cap. 14.*

Quin & anno secundo egressionis ex Ægypto; Core, Dathan, & Abiron, aliique filiorum Israel CCL. furrexerunt contra Moysen, viri proceres Synagogæ, eique & fratri illius contumeliosè insultarunt, quasi à Domino missi non fuissent. At ditrupta est terra sub pedibus illorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, omnemque substantiam illorum. Sed & ignis egressus à Domino, devoravit CCL. viros, qui offerebant incensum. *Num. cap. 16.*

Etiam Hierusalem accusatur rebellionis apud Regem Ar-
D taxerxem, ideòque delenda pronunciatur. *1. Esdr. cap. 4.*

Meminit quoque historia Machabæorum rebellionis, quam Sudditi Alexandri in Cilicia adversùs eum inferebant. *1. Machab. cap. 11.*

Tempore Joram filii Josaphat, rebellarunt Idumæi Judæis, & à Judæorum jugo immunes fuerunt annis 800. *lib. 4. Reg. cap. 8. Joseph. lib. 14. Antiq. in initio.*

PRINCIPES.

Jeroboam filius Nabat Ephratæus servus Salomonis, levavit manum contra Regem. Causa autem rebellionis erat, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David patris sui. *3. Reg. cap. 12.*

Zamri dux mediæ partis equitum sub Ela rege Israel rebellavit adversùs illum, eumque trucidavit. *Ibid. cap. 16.*

Osee regis Assyriorum tributarius, tandem adversùs illum insurrexit. *4. Reg. 17.*

Tempore Joram Regis, rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, & constituit sibi Regem. *2. Paralip. cap. 21.*

Historica.

De Rebellione Eubœtarum adversùs Athenienses. E

☞ *Vide Locum de Insulis. Tit. Insulæ continenti junctæ.*

☞ *De Rebellione autem Subditorum adversùs Principes, Magistratus, Supervacaneum duximus hoc Loco pluribus agere, cùm ex Loco de Bello, Dissidiis, Inimicitia, Perfidia, & plerisque aliis, abunde is Locus valeat illustrari. Ut quæ regulariter vel ex rebellione oriantur, vel adjunctam eam habeant, ut per se notum est.*

☞ *Rebellio autem adversùs Deum, quæratur in Loco de Apostasia, Hæresi, Infidelitate, Ingratitudine.*

☞ *Plerique verò de rebellione adversùs Principes, reperiet Lector Titulo particulari in Loco de Severitate, Ubi plura adducuntur exempla illorum, qui propter inventatam rebellionem severè puniti fuerunt.*

☞ *Rebellionis sive Defectionis Pœna, desumatur ex Loco de Pœna, & Punitione.*

Reconciliatio.

* Definitio, et Etymologia.

REconciliatio, Græcè καταλλαγὴ : διαλλαγὴ, & διαλλάττειν, F reconcilio dicitur. Est autem reconciliatio amicitiæ reparatio, *secund. B. Thom. 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 5.*

Reconciliare namque est idem, quod in gratiam restituere, quoties scilicet amici, qui interposita aliqua offensa, aliquandiù fuerint, in pristinam redeunt benevolentiam, ac familiaritatem. Venit autem à concio, quæ quid sit. *Vide supra concio.* Hinc fit conciliù multitudo populi confulendi gratia congregata, à quo conciliatum, locus, in quo concilium congregatur.

* Præcepta.

Dominus in Evangelio *Matth. c. 5.* postquam docuisset non solùm ab homicidio abstinendum, sed etiam ab ira, ac minima fratris læsione, quæ verbali fit convicio; tandem docet, quid faciendum illi, qui fratrem in aliquo læsit, aut ab illo læsus est, nempè operam dandam ante omnia, ut scissa concordia resarciatur, & fratri reconcilietur, adeò ut etiã huic rei sacrificium postponat, quod dicit Deo acceptum esse non posse ab eo, qui charitatis fraternæ violator est, adeòque Gehennæ ignis apud Deum obnoxius. Dicit autē: Si offers munus tuum ad altare, G & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.

Chrysostomus verò, & *Theophylactus* tunc aliquem adversùs alium aliquid habere existimant, quando illi non bene cum alio convenit, sed inimicitias cum illo gerit, sive justas, sive injustas. Ideòque dictum absolutè, si frater tuus aliquid habet adversùm te, ut intelligatur etiam ei, qui læsus est, non verò solùm lædenti esse præceptum, ut reconciliationem ipse quærat, qui ab eo diffidet, seque læsum ab eo putat, etiamsi non sit. Unde idem *S. Chrysostomus* ob id dictum non esse arbitratur, reconcilia tibi fratrem tuum, sed reconciliare fratri tuo, quod tam convenit offenso, quàm offendenti.

Apud Ethnicos id etiam probatum, è quibus Pythagoras scriptum reliquit χύτραν ἐγχρὸς συγχεῖν ἐν τρίοδοι, id est ollæ vestigium in cinere turbato. Quod *Plut. in Sympos.* interpretatur, nullum iracundiæ vestigium esse relinquendum post reditum in gratiam.

Et Bias Priemensis, ita ajebat oportere homines in usu ami- H
citiæ versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias converti posse.

* RECONCILIATIONIS EXEMPLA.

Ex S. Scriptura.

Mortuo Jacob, cùm timerent fratres, Joseph ne esset memor injuriæ, qua illum assecerant, venerunt ad illum, & ex patris mandato dixerunt : Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te, nos quoque oramus, ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph, & dixit : nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati? &c. Ego pascam vos, & parvulos vestros : consolatusque est eos, & blandè, ac leniter est locutus. *Genes. c. 50.*

Pharao à Moyse jam tertiò rogatus, ut dimitteret populum, cùm propter ipsius duritiam varias plagas immisisset in universam regionem Ægypti Deus, & vastarent eam locustæ innumerabiles, festinus vocavit Moysen, & Aaron, dixitque eis : Peccavi in Dominum